DE

CAPITIS LAESIONIBUS EARUMQUE SEQUELIS

ADNEXA MEMORATU DIGNA CAPITIS LAESIONIS HISTORIA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XVII. M. JULII A. MDCCCXXX

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

CHRISTOPHORUS GUMMICH

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

A. LAURENT, MED. ET CHIRURG. DR.
G. SCHMITT, MED. ET CHIRURG. CAND.
C. DOINET, MED. ET CHIRURG. CAND.

BEROLINI,

TYPIS BRANDESIANIS ET KLEWERTIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO ATQUE CELEBERRIMO

CAR. GUIL. ULRIC. WAGNER

MEDIC. CHIRURG. ET ART. OBSTETR. NEC NON PHILOSOPH. DOCTORI. MED. PROF. PUBL. ORD., PHYSICO FORENSI APUD BEROLINENSES, EX SUPREM. IN RE MEDIC. EXAMINATORIB., SOCIETAT. MEDIC. CHIRURG. LONDINENS., BEROLINENS., SOC. ORDIN. MEDICOR. ET MEDIC. AEMULAT. PARISIENS., PHYSICO-MEDICAE ERLANGENS., RER. NATURAE STUDIOS. MARBURGENS. SODALI

NEC NON

PATRI OPTIMO, DILECTISSIMO

JOH. NEPOMUC. GUMMICH

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SUMMA PIETATE

OFFERT

AUCTOR.

§. 1.

Non dubium est, quin inter vulnera, quae corpori humano inferri possunt, primum locum obtineant, et maximi momenti sequelis stipata sint, ea, quae capiti, sublimi ac nobili huic mentis arci, qua ipsa ejusque facultates recondi videntur, infliguntur. Ne autem dissertatio haec suas fines transeat, quod quidem, si uberrime vulnera capitis tractare vellemus, revera timendum esset, in gravissimis tantum symptomatibus, quae cum illis se conjungunt, diutius persistamus. Quibus laesionibus quaevis alia corporis pars subjici potest, iisdem quoque integumenta cranii obnoxia esse possunt. Periculum vero inde dependens incredibilem in modum, prout laesio unice externas partes corripuerit, vel simul cerebrum ejusque involucra in consensum traxerit, decrescit aut crescit. Itaque in statuenda prognosi de fausto vel infausto capitis laesionis exitu signa sciri plurimum interest, quanam scilicet ratione mollium cranii partium vulnus distinguatur ab illo, quod eodem tempore per calvariam penetravit, et vim delentem in tunicas cerebri aut in id ipsum exercuit. Valde vero dolendum est, quod, quamquam de capitis vulneribus libri laude dignissimi et summa cum diligentia scripti in lucem prodierunt, nihilo secius valde impediamur, quo minus nobis affectarum partium vera diagnosis innotescat. Spes, fore ut hanc difficultatem in eruenda diagnosi amoveamus, minima est, et quidem eam ob causam, quod cerebrum circumcin-

gentia cranii ossa valde firma et dura sunt, eorumque perforatio quam maxime caute instituta, minime expers periculi, et difficilis est, et rarissimis tantum in casibus perforato cranio nobis contingit, ut malum sic investigemus, ut de statuenda diagnosi non dubitari possit. Clarissimorum itaque chirurgorum libros nos consulere oportet, ut in praesenti artis medicae statu certum habeamus ducem, qui impedimenta, quae capitis laesionum diagnosis affert, auferat, et tum demum, perpensis omnibus symptomatibus, quae nobis se sistunt, nobis data est potestas, qua aptam pro re nata medendi rationem ineamus, et caveamus, ne aegrotus nostro vitio periculosae imo morbiferae curationi tradatur. Medicos adhuc passim in id vitium, quod modo narravimus, incidere, compertum habemus. Hoc imprimis inde repetendum est, quod vulnus ob levissima symptomata, quae laesionis tempore forsan revera aderant, vix observatione, ne dicam continua et accurata, dignum habebant. Externa specie decipiuntur, et interim vita hominis pessumdatur, aut si mors non supervenit, plerumque miserabilem saltem vitam degat oportet. Quare non omnino supervacaneum esse existimo, si, ipse experientia destitutus, quae optimi scriptores de periculosis capitis laesionibus observaverunt, colligam, et secundum ordinem pertractabo. Denique casum quendam memoratu dignissimum a Decano spectatissimo, viro illustrissimo Wagner, mihi communicatum, cui et ob hoc et alia in me benevolentiae specimina, maximas, quas possum, publice refero gratias, adjiciam. Ita autem capitis laesiones describam, ut uno in concpectu omnes videre possis, et hanc ob rem eas in externas, et internas, dividam, et praecipue cum hisce conjuncta symptomata, compressionem, commotionem atque inflammationem cerebri considerabo.

§. 2.

Sicuti vulnera aliis corporis partibus secando illata, ob exiguam contusionem atque dilacerationem minimum minitantur periculum; sic eandem quoque rationem habent capitis laesiones secando contractae,

quare studere debemus, ut per primam intensionem iis medeamur. Plerumque ad hoc emplastrum adhaesivum jam sufficit, in gravioribus autem casubus sutura cruenta adhibenda est.

§. 3.

His, ratione periculi habita, vulnera caesim percussa se adjungunt, quae tamen hoc incommodum importaut, ut plerumque quidem exteriora tantum cranii integumenta perscissa non raro autem galea aponeurotica et pericranium laesa sint. Saepe erysipelas faciei et febris accedunt. Methodus antiphlogistica adhibeatur necesse est. Si partes contusionem perpessae sunt, inde enascens tumor ad resolutionem perduci debet, et remota inflammatione, fomenta calefacto vino immersa, et cataplasmata ex herbis aromaticis praeparata, ad roborandas partes debilitatas in usum vocanda sunt. Crescente pedetentim tumore, majus vas sanguiferum per contusionem laceratum esse, pro certo habetur, qua propter necessarium fit, ut aperto per artem tumore, vas, sanguinem exstillans quaeramus et inventum ligatura circumdemus. Ob coagulatum sanguinem, qui in duris magnisque tumoribus haeret, et hi incidi debent. Quaevis contusio summam meretur attentionem, quia persaepe in cranio aut sub illo laesiones adsunt. Lobos cutaneos, quamcunque habeant magnitudinem, a cranio avulsos, nunquam abscindere licet, sed potius vulneris marginibus apponendos, et emplastro adhaesivo, apta fascia, aut ipsa, si qua opus est, sutura cruenta, continuitatem restituendam curamus. Si quidem primum experimentum non prosperum eventum habuerit, multumque pus inter lobum cutis et cranium stagnet, defluxus huic parari debet, et ni putredine corrupta sit cutis, aut cranium decolor inveniatur, eundem processum repetendum esse existimo. Posito, demum nos operam perdidisse, quid interest? Inde res aegrotantis minime pejores factae sunt, eodem in statu versatur, ac si illico pars morbosa resecta fuisset. Eandem viam ingredimur, si pars cranii, quippe quae tamen cum interna lobi cutanei superficie adhuc cohaerere debet, vulnere abscissa est, et sic multa impedimenta, quibus cura implicatur, difficilisque et longa

redditur, utique expediuntur. Imo recentiori aetate compertum habemus, partes corporis, quae ab omni nexu separatae in terram ceciderant et pulvere aspersae erant, iterum cum ea parte, quae jacturam fecerat, coaluisse. Ill. Rust, in fasc. II tom. VI librorum suorum de universa arte medica agentium, casum recepit de digito praeciso, qui manui restituebatur. Garangeot vidit, avulsum cacumen nasi, relictae parti adpositum esse, et cum illa coaluisse. Et, quamquam ill. a Walther, Hunter et Richerand multa animalia periculo subjecerint, an consulto abscissis partibus tanta adhuc vita insit, ut cum iis, a quibus depromtae sunt, denuo coalescere possint, qui labor autem semper infausto cum successu suscipiebatur; tamen a Walther multum abest, ut dubitet, quin chirurgus, data occasione, semper operam perdat.

§. 4.

Cum vulnera punctim inflicta altius descendant, et hanc ob rem facile omnes molles partes, cutem, musculos, vasa, tendines et nervos laedant, rite periculosiora, quam secando et caedendo illata vulnera habentur; praeterea meatum longum cum arcta apertura construunt, inde eorum exploratio magis minusve difficilis redditur, et quo minus effusus latex libere effluat, impeditur. Galea aponeurotica, et pericranio simul in consensum tractis, praeter dolorem et tumorem non raro extensa inflammatio et suppuratio exoritur, illa quoque duram meningem corripere potest. Itaque antiphlogistice agendum est. Optime incisione his symptomatibus obviam itur. Hujusmodi vulnera interdum, nobis non sentientibus, usque ad cerebrum penetrant, et sero demum mortem, quae abesse videbatur, minitantur.

§. 5.

Majoris momenti, quam vulnera mollium partium, sunt fracturae et fissurae cranii. Has interdum illis periculosiores esse, ideo patet, quia difficilius internae affectiones observari possunt. Diagnosin tunc demum pro certissima habere possumus, si cranium denudatum est. Quodsi vero molles partes incolumes servatae sunt, nonnulla quidem phaenomena, quaestionem, utrum fractura an fissura adsit, solvere dicuntur, quae omnia

autem incerta sunt. Haemorrhagiae e naribus, meatu auditorio externo, et ore nihil nisi vim violentam indicant, qua caput ictum est. Inde concludere, fracturam aut fissuram adesse, minime licet. Etiam ex vomitu spontaneo, doloribus in manducandis cibis, fissurae aut fracturae argumenta eruere non possumus. Tanti quoque pretii non est sejunctio pericranii a cranio, ut pro signo diagnostico haberi queat. Concedamus quoque, praeter modo allata signa nihil ad diagnosin stabiliendam desiderari; semper tamen in dubio positum est, qua cranii parte fractura aut fissura locum habeat. Nam saepe ex ictu contrario (contre coup) originem ducunt, et locum omnino adversum ei, qui directe noxia vi infestatus erat, occupant, quo in casu externarum partium vulnus aut tumor non extant. Ob viciniam fortasse nervorum cerebralium et medullae oblongatae fracturae in basi cranii absolute lethales habebantur; sectio autem cadaverum hanc opinionem plane refellit. Salva lamina externa, nonnunquam interna ictu contrario fracta invenitur, quod imprimis aetate jam provectioribus contingere mihi videtur, diploë concutitur, dura mater a calvaria avellitur, cerebrum comprimitur, irritatur, et demum inflammatur. Itaque quam difficile sit, vivente adhuc aegro, contendere, fracturam adesse aut abesse, ex dictis satis elucet. Nihil autem refert obscura diagnosis; nam fractura per se periculosa haberi non potest, sed periculum solummodo ex conjunctis cum ipsa phaenonemis proficiscitur, quamobrem, si fractura complicata non est, terebra uti, et perforare calvariam, minime competit. Nihil inde emolumenti capere potes. Sed, proh dolor! raro fractura ab omni complicatione libera existit.

§. 6.

Dignae sunt contusiones ossium cranii, quas seperatim contemplemur. Contusam laminam externam necrosis excipit, exfoliatio intrat, et aptis remediis vulnus curatur. Si cutis sauciata non est, instante exfoliatione incidenda est. Male cum aegroto agitur, si diploë et lamina vitrea contusa sunt; sanies inter hanc et duram matrem, quae avellitur a lamina vitrea,

acervatur, inde cerebrum comprimitur, et infaustus exitus imminet. Laesio interiorum partium saepe permagna est, et, quamquam cutis incolumis sit, tamen non licitum est, putare, interiora quoque parum affecta esse. Quare prognosis semper pervalde dubia statuenda est. Minime contusione colligitur, mortem in propinquo esse; aeger per longius temporis spatium adhuc bona valetudine frui potest, sensim vero febris, paralysis, convulsiones, status soporosus accedunt, vitaeque finem imponunt. Levi contusioni antiphlogistica methodus optime quadrat, simulac vero prima contusionis symptomata accedere videntur, illico indicatio perforandi cranii adest, ut noxivae res amoveantur. Interdum magna ossium pars destructa est, ita, ut bis terve operationem instituere necesse sit. Interdum etiam post altam incisionem in locum affectum omnia symptomata mitigantur et evanescunt.

§. 7.

Multo majoris momenti, quam simplices fracturae, impressiones ossium sunt. Ne cavitas cranii coarctetur, motiones cerebri impediantur, meninges irritentur, atque dein inflammentur, vix vitari poterit. Vasa concutiuntur, dilacerantur, et sanguinem, quo cerebrum comprimitur, exstillant. Cum impressione fere semper fracturae conjunctae sunt, si excipere velis infantes, quorum ossa facile vi cedunt. Externa lamina plerumque integra remanet, vitrea vero facile in festucas diffinditur. Sopor occupat aegrum, memoria labat, sensuum functio turbatur, oculis ejus flammea phaenomena se praebent, et res aliter, ac revera sunt, observantur. His signis se adjungunt susurrus et tinnitus aurium, cessatio subjectarum voluntati motionum, ob iridis paralysin dilatatur pupilla, musculus levator palpebrae superioris et sphincter palpebrarum languescunt, unde facultas claudendi palpebras et aperiendi abolescit, rectus attollens oculum sursum torquet. Praecipue ob coërcitam vim nervi vagi in respirandi facultatem et digestionem haec organa ad vitam sustentandam tam necessaria difficulter amovendas turbationes subeunt, dein subsequitur sic dicta respiratio abdominalis. Affectio nervi vagi plexum cardiacum in consensum trahit, inde

sanguinis circulatio turbatur, pulsus est plenus, magnus et tardus, et nomen pulsus cephalicus ei imponitur, hoc casu excepto, ubi simul orgasmus sanguinis observatur. Non vero semper ex impressione ossium colligi licet, gravissima, quae modo attuli symptomata, intrare debere; nam cur fieri non posset, quin cerebrum impressioni aeque ac quodvis aliud nobile organon praesentiae corporum alienorum adsuescat. Imo pluries observatum est, praecipue quod attinet vulnera sclopetaria, homines glandibus ictos easdem per totam vitam, sine magno incommodo secum portasse. Ossa dislocata et impressa per calli formationem invicem coalescunt, et interdum vi medicatrice naturae in pristinum ordinem rediguntur. Negari autem non potest, plerunque tamen, superstite vita, aliquam animi infirmitatem remanere. Diutius protracta impressione, plus minusve symptomata cerebri compressionis provocari, certissimum fere haberi potest. Ad avertendum opportuno tempore inde proficiscens malum, ad vitam aegròti incolumem servandam, mortemque praecavendam, accuratissime medicum explorare oportebit, num revera os aliquod impressum sit, necne? Si impressionem adesse statuimus, nullo alio modo, quam elevatione impressi ossis, cerebrum a compressione liberare possumus. Impressionem autem partim sensu visus, partim tactus sensu cognoscimus. Tangendo exploramus impressionem, si, quamquam cranium denudatum non reperiatur, molles partes sauciatae sunt; visum et tactum tunc adhibemus, si vis extrinsecus illata talem in calvariam impetum fecerit, ut tegumenta vel omnino abrepta, vel maximam partem deleta sint. Impressionem si elevare nequimus, quin cranium perforatum fuerit, sine mora terebra uti indicatum est, ut irritatio cerebri, ab ossis impressione pendens ejusque sequelae amoveantur. Nonnunquam, quo in loco os impressum est, nulla externa laesio deprehenditur, solum ecchymosis aut suggilatio adest, intumescentia magnum locum occupat, maximisque difficultatibus premimur, ut diagnosin eruamus. Vulgaribus symptomatibus tunc inniti et ipsis medendi rationem accommodare debemus, quae autem non aliter, ac perforatione bono cum successu

institui poterit. Si calvaria tegumentis spoliata non est, incisione semel aut bis, ad instar crucis instituta, tegumenta a cranio, quantum opus est, solvi debent (resecare autem ea minime licet) ut perforatio aptius institui queat. Saepe perforatio semel facta non sufficit; nimirum si pluribus in locis inter se dissitis impressiones extant, aut si aliqua impressio in magnum ambitum extensa est. Ut adposite Richterus monet, nulla spes, fore ut sponte elevetur os, in comprimendo spiritu collocanda est; valde timendum esset, ne ob congestionem sanguinis ad caput, periculosa symptomata augerentur, et ipsa inflammatio, si deest, adduceretur. Ad elevanda ossa vecte utimur.

Licet distinctio in externas et internas capitis laesiones non magnam utilitatem afferat medico practico, cum illae si graviores sunt, interiores quoque partes afficiunt, nihilominus, ut prospectus capitis laesionum melius in lucem prodeat, hanc divisionem persequamur, et, quum memoratu dignissima de illis dicta sint, ad hasce contemplandas nunc nos convertamus. Pertinent autem ad hanc classem compressio, commotio et inflammatio cerebri, et primum agatur de compressione.

§. 8.

Non raro capitis laesiones conjunctae sunt cum effusione magnae copiae sanguinis e vasis cerebri aut tunicarum ipsius; inde extravasatio aut haemorrhagia nascuntur. Ut equidem opinor, illata vis parvi momenti est in cognoscenda sede extravasationis aut haemorrhagiae. Judicium nostrum excedit, certe definire, num sanguis inter duram matrem et laminam vitream, an inter piam matrem et superficiem cerebri effusus sit; num sedes loco conveniat, qui primario vulnerabatur, an in alia cerebri regione inveniatur; num in superficie stagnet, an altius in cerebri penitiora adyta penetraverit. Effectus autem effusi sanguinis, qui variare potest secundum quantitatem et alias intercurrentes res, satis elucet e phaenomenis compressionis cerebri, irritationis meningum, encephalitidis et meningitidis. Aetatis et constitutionis ratio semper in hujusmodi casibus respicienda est. Quantitatem effusi san-

guinis vero in definiendo periculo multi momenti esse, vix crediderim; etenim observatum est, homines, quorum cerebri superficies magna sanguinis copia tegebatur, multos per annos vixisse, alios autem ob aliquot guttas vitam perdidisse. Unde hoc derivandum sit, ad liquidum perductum non est. Quasdam cerebri partes aliis praestare, nulla forsan est dubitatio; quaenam autem pars alteram antecellat, hucusque definire nequimus, et, si quoque maxima cum diligentia circa partium absconditarum corporis humani investigationem versemur, tamen fatendum nobis erit, cum hacce conjunctas difficultates nunquam de medio sic sublatum iri, ut cujusvis partis prae aliis praestantia nobis innotescat. Eadem ratione inter psychologos nunquam lis de definienda animae sede componetur. Ob majorem durae matris resistentiam et ejusdem distantiam a cerebro ipso, quibus rebus effusus inter duram meningem et tabulam vitream sanguis proxime cerebrum comprimere cohibetur, verisimile forsan est, eum minus detrimenti allaturum esse, quam si inter substantiam corticalem et piam matrem accumulatus esset. Sic effuso sanguine non tantum periculum aetate jam provectiores subibunt, quantum iis minitatur, qui tenera juventute gaudent, quia illi, ut ego opinor irritationis capiendae minus idonei haberi possunt, quam juvenilis et infantilis aetas, quia systemati vasorum non tantus vigor inest, quam in junioribus, uti quoque ex concrementis osseis, tunicis cerebri innatis, qui jam longum temporis spatium adfuerant et in cadaveribus seniorum reperta erant, luculenter elucet. Hujusmodi autem, ut ita dicam, parasyti, in cavitate cranii observati, saepe magnum ambitum acquisiverunt, et solummodo ex incrementi tarditate, qua cerebralis substantia iis adsuescebat, explicari potest, quomodo homo tam diu vita sine alicujus facultatis laesione frui potuerit; nam pressionem cerebri magna et subitanea vi atrociter torquentem. nullus est, qui ferat, quin extemplo, ni ars succurrat, exitialia symptomata intrent necesse sit. Ut vero diagnosis sanguinis effusi clarior evadat, quantum fieri potest, deraso capite sedulo explorandum est, utrum ossis impressio locum habeat,

quae tantam in organismo turbationem provocaverit, an alia causa accusanda sit. Stupor et quae sunt reliqua symptomata ex effuso quidem sanguine repeti possunt, dolendum vero maxime est, destitui nos rationibus, quibus innixi, difficultates de exploranda sede amovere possimus. Ne obliviscamur porro, haud facile esse, commotionem cerebri a compressione distinguere, quae diagnosis scitu valde necessaria est. Attamen, quae ab errore nos avellere queant, nonulla habemus. Nimirum, quae symptomata cerebri commotionem sequuntur, statim post adflictum capiti vulnus se produnt, a compressione autem dependentia plurimis saltem in casibus pededentim se manifestant; vasa enim guttatim sanguinem exstillantia exigunt nonnullas horas, priusquam ad id perventum sit. ut sanguis mole sua comprimere cerebrum queat. Fieri quidem potest, ut laesionem paullo post ob nimiam effusi sanguinis copiam, mors subsequatur, e. g. si sauciatus est sinus falciformis; ast hujusmodi exempla rarissime occurrunt. Encephalitis, meningitis post quadraginta octo demum horas intrare solent; surditate sine tinnitu, paralysi extremitatum sine convulsionibus, amblyopia sine photopsia afficitur aeger. Pulsus est durus, inaequalis, intermittens, pupilla dilatata. Dolor quem effusus sanguis certe procreat, ad ipsius sedem inveniendum ducere nos non valet. Aeger ipse enim sui non conscius est, aufugit itaque facultas, distinctis verbis eum definiendi. Eadem ratione hemiplegia tanti momenti non est, quanti vulgo existimatur; interdum in utroque latere corporis paralysis adest, aut in alterutro, in alio autem convulsionibus tenetur aeger. Semper vero conjectura probabilis est, accumulationes sanguinis eo in loco inveniri, qui affectae externae parti respondet, inprimis tum, si vulnus tanta vi caput percusserit, ut os aliquod simul frangi oportuerit. Sed et haec regula exceptiones admittit, et theoria, quae passim multum valet, in eo, quod cum fracturis internae haemorrhagiae conjungi debent, a veritate desciscit. Fracturae, quin intrent haemorrhagiae internae adesse possunt, et vice versa, et interdum locis inter se multum dissitis utraque praesto est.

Quae.

Quaevis cerebri compressio duas indicationes sistit, quibus satisfaciendum est, primo maxima cura adhibenda est, ut haemorrhagia, ad mortiferas ejus sequelas avertendas, sistatur, quo facto, secunda posita est in removendo sanguine. Plerumque ad hanc indicationem, omissa illa, primario animus intenditur. Falsa opinio, resorptionem sanguinis multo majoris momenti esse, quam ejusdem perdurantem adfluxum impedire, hic subjacet. Sanguine tanta in copia corpori extracto, ut vitam quasi minimam homo degere cogatur, resorptio sponte sequitur. Efficacissimum inde remedium, quod utrique indicationi convenit, est evacuatio vasorum. Haec tam universaliter, quam topice institui debet. Sanguinem mitti oportet liberali manu et lato vulnere ex brachiis pedibusque, habita semper temperamenti, habitus, aetatis, sexus et virium ratione. Si id non levarit, vena frontis aut jugularis, imo arteria temporum incidi poterit. Cucurbitulae etiam dorso, scapulis, collo utiliter admoventur, tam scarificatae quam siccae, itemque occipiti, aut hirudines deraso capiti, temporibus et pone aures. Quodsi graviori in casu neque iterata phlebotomia, neque arteriotome quidquam profecerint, ex naribus sanguis, ut erumpat, danda est opera, quod fieri potest, hirudinibus, interioribus narium partibus admotis, aut multifarie inciso calamo scriptorio, ut vulneret, aut alia quavis irritatione. Remedia irritantia, quae vulgo hac intentione administrantur, ut nimie extensa vasa roborentur, et effusus sanguis resorbeatur, semper aegrotis detrimento sunt, et tum maxime, cum irritandi vi valde polleant; itaque absurdum est, inprimis sub initio, remediis resorbentibus uti. Tum locum habeant, cum procul abest periculum, ne pars aliqua inflammetur. Interest praeterea, si deglutiendi facultatem non amiserit aeger, alvum leniter, sed iteratis vicibus ducere sale Glauberi, Crem. tart., kali acet., sale amaro, dein capiti superimponere fomentationes frigidas. Balneis pedum tepidis, sinapismis, aut emplastro cantharidum intra scapulas applicito sanguinis cursus a capite quam maxime avertitur. Supra jam innuimus, irritantia remedia nocere, in ulteriore autem morbi decursu, si omnia irritatationis symptomata ces-

serint, adhibeantur. Usu comprobata habentur praecipue inf. flor. Arnicae cum cathartico remedio conjunctum, aut herba digitalis una cum arnica. Si internam haemorrhagiam sistere, irritationem cerebri, inflammationem tunicarum avertere non successerit, nihil restat, quam ut modiolo calvariam perforemus et sic sanguini exitum paremus. Tunc praestat enim remedium anceps, quam nullum. Favente fortuna accidere potest, ut semel instituta cranii perforatione tantam perniciem minitantis mali sedem inveniamus, uti luculentissimum exemplum aegroti in memoria teneo, cui ob ictum jam aliquot annos mente capto, hiëme praeterlapsa calvaria perforabatur. Portio abscissa ossis exostosin plurium linearum ostendebat, qua remota, statim homo resipiscere videbatur. Proh dolor autem aliquot dies post obiit. Interea autem saepissime spes solum exigua, amovendi effusum sanguinem nobis adfulget, etsi bis terve operationem instituamus. Monendum quoque est, minime periculi expertem esse perforationem, et raro felici cum successu institui. Remoto sanguine brevi tempore ratio atque cogitatio redit; siquidem non diu corpus alienum, sanguis nimirum, molestias aegro adtulerit; sensim sensimque autem perditas facultates recuperabit, si per plures dies imo hebdomades malo vexatus fuit. Omnibus his bene perpensis, evidentissimum est, prognosin effusionis sanguinis in cavitate cranii et inde ortae compressionis valde ancipitem esse, et quidem non solum ob diagnosin dubiam, sed etiam ob symptomatum complicationem.

§. 9.

Non solum vi extrinsecus capiti directe illata, sed etiam lapsu a sublimiori loco in plantam pedis aut podicem cerebrum vehementissime commoveri potest. Validiores corporis exercitationes, infractus homini colaphus non raro causa occasionalis cerebri commotionis existunt. Pro virium intentione, qua caput feritur, et cerebri commotio adducitur, quae ab hac originem ducunt, symptomata, valde inter se differunt. Posita autem est proxima causa commotionis in mechanica laesione, in repetito ictu et ictu adverso (*Stofs und Gegenstofs*) qui celeriter se excipiunt, et qui-

buscum tremor cerebri fibrarum conjungitur. Celeberrimi quidem sunt auctores, qui cerebrum non fibrosam structuram habere contendunt *); alii autem, inter quos nominandi sunt Malpighi, Gall, Reil, Stenson, Vicq d'Azyr, Meckel minime eam cerebro deesse, ostenderunt **). Levis commotio stuporem, inclinationem ad somnum, turbationem facultatum animi, aut totius corporis, paralysin partis cujusdam vulgo comites habet. Haec omnia autem aptis remediis, aut etiam sponte desinunt et non revertuntur. Major gradus sese prodit sensus cum interni tum externi motuumque a voluntate pendentium abolitione, somno profundissimo, collapsu faciei, deperdito oculorum splendore, superstite debili cordis, arteriarumque micatu et respiratione brevissima. Somnus non raro intercipitur maxima inquietudine et agitatione et convulsionibus. Percussus aeger, quasi fulmine ictus subito concidit et resolvitur. Summus commotionis cerebri gradus is habetur, quem mors vel extemplo, simulac homo laesus sit, vel omnibus symptomatibus rapidissime sese excipientibus, sequitur. Attamen hujusmodi casus rarissimi extant. Frequentius vero accidit, ut statim ac cerebri commotione correptus sit homo, attonitus prosternatur, praeterlapso aliquo tempore autem reviviscat, et sensubus suis uti possit. Interdum quoque graviores cerebri commotiones diu, imo per totam vitam, persistentem labefactatam memoriam, aliusve sensus imminutionem aut cujusdam partis functionem laesam relinquunt, interdum nonnulla verba ob ineffabilem litteram perperam pronuntiantur. Saepe cophosis subsequitur, et nulla curationis spes relinquitur. Rarius incidit, ut stupidi homines post perpessam cerebri commotionem plus quam antea sapiant, quam sapientes et magno ingenio praediti, animi facultatibus priventur. Sequelae commotionis multum inter se variant, et ut Richter adposite monet, quadrifariam esse possunt.

---

1) Richat anatomie générale tom. I. 1. p.
Carl Wenzel Protranus eines Werkes über das Gehirn des Menschen u. der Säugthiere. Tübingen 1806.

2) Meckel Handbuch der menschlichen Anatomie 1. Band, Seite 277 u. ff.

1) fluunt symptomata e cerebri compressione et proxima eorum causa in vasorum cerebri impletione posita est,
2) aut manant ex actione suppressa et debilatione concussi systematis nervosi,
3) aut proficiscuntur ab irritatione nervorum, aut
4) exordium ducunt a praeternaturali irritatione intestinorum cavitatis abdominis.

Fere semper omnia haec phaenomena simul adsunt, medicum autem in instituenda curatione in id animum praecipue attendat oportet, quod maxime urgere videtur. Plurimum interest, non falli similitudine, quae inter commotionem et compressionem ab effuso sanguine pendentem, observatur. Supra jam sermo fuit de utriusque diagnosi; expedit autem aliquid fusius de illa dicere, et, quae ibi omissa sunt signa, hic afferamus. Incerta semper diagnosis, num compressio an commotio cerebri adsit, statuenda est, si laesionis tempore observari aeger non potuit, eumque medicus sensibus orbatum, invenit. Signis commotionis jam discussis, fieri potest, ut accedente nova causa occasionali, quae medicum fugit, eadem symptomata revocentur, quae tum, quia solito serius, ac signa commotionis intrant, facillime in profectam ab effuso sanguine compressionem derivantur. Difficillima quoque distinctio fiet simplicis commotionis ab eo statu, quo illa se cum compressione copulaverit, et medicus summopere in diagnosi fluctuabit, si cessant commotionis symptomata, compressionis signis persistentibus, aut si compressio intraverit, priusquam symptomata commotionis jam evanuerunt. Concedamus summam debilitatem, torporem, paralyticam affectionem et in compressione et in commotione adesse, tamen non obliviscendum est, hanc fere semper organorum digestionis aliquam irritationem concomitari, quae plerumque a mera compressione abest. Vix crediderim, commotionem adesse posse, quin complicatio aliqua symptomatum observetur, plerumque effusio sanguinis, fractura fissurave ossium, eorumve impressio immiscentur, quae multo majori periculo vitam aegroti adoriuntur, quam exquisita commotio. Huic forsan vix unquam infans subjicitur, ob ossium

teneritatem, quae facile vi extrinsecus illatae cedunt. Plurimum quoque proficiunt ad diagnosin eruendam sic dicta juvantia aut nocentia remedia, quorum effectus igitur semper respiciendus est.

Quoniam vero digestionis apparatus magis minusve in quavis cerebri commotione turbatus est, in hoc symptomate paullulum immoremur. Principio solum cibi, qui ante commotionem assumti sunt, vomitu e ventriculo et intestinis tenuibus ejiciuntur. Paullo post, duodeno magis in consensum tracto, vomitus bilis, cui succus pancreaticus admixtus est, supervenit. Hic vomitus per consensum movetur. Nervus enim sympathicus magnus, quocum se plurimi nervi cerebrales et rami anteriores et posteriores omnium nervorum medullae spinalis conjungunt, tantam in canalem intestinalem vim exercet, ut ejus functiones valde turbari debeant. Richerand, multis experimentis innixus, hepar semper directo modo sauciari, opinatur, si laesionis symptomata hujus nobilis organi post capitis affectiones se manifestant. Plures mortuos homines praecipites dejecit de sublimiori loco, inter quos plurimi ruptionem hepatis perpetiebantur. Haec praesumptio exceptiones quidem admittit, nihilominus autem haec experimenta summopere nostra attentione digna sunt. Pluries eandem observationem facere etiam a Walther contigit.

§. 10.

Licet dissimulandum non sit, hominem per primaria commotionis cerebri symptomata in summum vitae discrimen vocari, tamen alia commotionis sequela, nimirum meningitis et encephalitis non raro existit, quae ex uberiore et vehementiore influxu sanguinis in vasa debilitata proficiscitur, et ratione symptomatum majus, quam commotio, periculum minitatur. Distinguendum est inter meningitidem et encephalitidem acutam et chronicam. Haec interdum signis tam obscuris stipata est, ut oculos exercitatissimi quoque medici non feriat, eo certius autem mortem adducat. Signa prioris morbi haec sunt: acutus capitis dolor et calor ingens, manuum ad caput admotio, ad iram, furorem animi proclivitas, imo interdum ipsa

mania, continuae vigiliae, aut, si quis somnus obrepat, interruptus, et spectris somniisque perturbatus est, prosilit aeger e lecto, fugam tentat, febris acuta et vehemens, pulsatio arteriarum in universo corpore valde molesta, imo eadem observatur in vena jugulari externa, oculorum insueta mobilitas, pulsus saepe magnus, durus et chordae instar tensae renitens; ingravescente dein malo aeger in soporem vel carum imo lethargum magna cum virium et pulsuum debilitate delabitur, pulsus fit parvus, inaequalis, intermittens, contractus. celerrimus (quo exsudationis stadium intrasse indicatur) lingua sicca atque aspera, sitis vel ingens, vel fere nulla, urina parca, flammea, alvus adstricta. Saepe quoque adsunt retinitis et otitis interna. aeger manibus tremit, floccos carpit, festucas colligit, muscas venatur, dentibus stridet, convulsivis musculorum faciei motibus corripitur. donec mors vitae miserrimae finem imponit. Encephalitidi chronicae vehementissima symptomata aliena sunt. Si igitur delirium adest, placidum aut taciturnum deprehenditur, febris non adeo urget, ac in inflammatione cerebri meningumque ipsius acuta. Hac lenta inflammatione praecipue meninges infestantur, et facilius, quam in acuta, ventriculus in consensum trahitur. Dolor non tam vehemens est, et magis in loco quodam circumscriptus. Vulnus si adest, malum pus secernit, pericranium a cranio decidit, fasciae vulneri arcte adhaerent. — Exsudatio et suppuratio adesse possunt. quin aeger aliquid conqueratur, aut luculentum inflammationis signum adfuerit. Primis post laesionem capitis diebus, encephalitis intret, minime necesse est. Plerumque commotionis symptomata jam evanuerunt, si illa nobis in conspectum venit. Nonnunquam praeterlapsis aliquot hebdomadibus demum intrat, alia vice vix viginti quatuor horas ad eam luculentur excolendam, requiruntur, inde perspicuum est, principium non raro medicum omnino latere. Exsudationis et suppurationis signa parum tantummodo ab iis desciscunt, quae in aliorum organorum inflammatione, quam gangraena excepit, observantur, itaque eorum mentionem faciamus, non oportet. Vitam aegroti tum in summo

discrimine versari, nemo est, qui neget, quare, ut illud avertatur, cujusvis symptomatis justa ratio habenda est. Causa morbi omnium fere post perpessas cerebri laesiones defunctorum encephalitis accusanda est; nam anatome detexit, vasa, quae per meninges, haemisphaeria cerebri vestientes, reptant, valde sanguine distenta et repleta fuisse. In sinubus sanguis coagulatus reperitur. Num qualitas cerebri dura deprehendatur an mollis, multum variat. In exsudationis et suppurationis stadio eadem inveniuntur in dissectis cadaveribus, quae quoque in aliis organis suppuratione deletis locum habent.

Quod ad therapiam commotionis cerebri attinet, semper talia remedia adhiberi debent, quae urgentioribus symptomatibus accommodata sunt. Itaque in maximo torpore et summa prosternatione systematis nervosi aegroto propinentur vinum vetustum optimae notae, ammonii praeparata, liq. anodyn. min. Hoffmanni, naphtha vitrioli et aceti, tinctura ambrae moschata, simul extrinsecus in usum vocentur infrictiones spirituosae in regionem dorsalem et cardiacam, et excitantia volatilia naribus, fronti labiisque admoveantur. Deraso capiti superimponantur fomentationes vino rubro calefacto gravidatae, item ex herbis aromaticis praeparatae. Attamen cautissime procedendum est, ne sanguinis ad caput congestione cerebri meningumve inflammatio oriatur. Indicationes ad sanguinis missiones larga manu, ad fomentationes frigidas, ad glaciem capiti imponendam, ad purgantia et clysteres repetuntur ex nimia vasorum repletione et sanguinis exsudatione, cujus diagnosis tum mentio fiebat, cum sermo de effusione sanguinis esset; signis magis spasticis antispasmodica remedia competunt. Emetica praecipue indicata sunt, et aliis omnibus remediis antecellunt eo in casu, quo ventriculus cibis nondum concoctis bileque impletus est. Plurimam quoque laudem merentur et minime omitti debent, si torpido nervoso systemati magno irritamento opus est, ut reviviscat. In certo quodam casu Schmucker enormem dosin granorum XXV tartari emetici ob torpidissimum aegroti statum adhibuit. Nunquam autem vomitum

ciere licet, si aliqua inflammationis signa adsunt, nisi sanguinis missionem praemiseris, ne ob congestiones sanguinis ad pulmones aut caput vasa disrumpantur, et inde apoplexia pulmonum aut cerebri adducatur.

In meningitide atque encephalitide quam citissime ad ea properandum est, quae valentissime inflammationem solvunt, ne degeneratio, gangraena, suppuratio aut abscessus cerebri vel cerebelli hominem interficiat. Iteratae sanguinis missiones tum e venis, quam arteriis, sicuti jam supra, cum haemorrhagias internas contemplaremur, monitum est, institui debent. His exceptis, fomentationes continuae e glacie, salia media, et inter ea praecipue nitrum, prae omnibus praestant. Jam exorta exsudatione et suppuratione a remediis vix aliquid sperare possumus. Epispastica adhibeantur, sed plerumque bono effectu carent.

Decursus morbi.

Maria D. sutoris filia, parentibus sanis orta, constitutione robusta, a primis vitae diebus semper bona valetudine gavisa erat. Ipsa dentitionis periodus, quo tempore multi saltem infantes male se habent, et quae non raro ad aliquod tempus hucusque vigentem sanitatem subvertit facile et bene elapsa erat. Primo vitae anno nondum peracto, puella jam ire potuit, et ineunte altero parvula fari didicit. Annum primum et semissem agenti, soror natu aliquid major in ludendo ligni ope, cui clavus duos ad tres pollices longus infixus erat, vulnus in os parietale dextri lateris intulit. Laxior ossium compages impedire non potuit, quo minus calvaria clavo perforaretur, et ipse clavus substantiae cerebri, ut saltem visum fuit, infigeretur; nam si matris verbis fidendum est, abdita illius pars, longitudine fere phalangem digiti aequabat. Ex integumentis capitis parum tantummodo sanguinis effluxit, parvula, quin clamorem ederet, orans aliquem cognatorum adivit, ut is clavum extraheret, quod quoque extemplo sine virium contentione factum est. Advocata mater, timens, ne ex vulnere malum oriatur periculosum, derasis capillis partis vulneratae, ad avertendam inflammationem fomentationes frigidus capiti

superimposuit, et vulnus dein emplastro adhaesivo texit. Primis a vulnere diebus valetudo parvulae minime turbata est, appetitus ciborum et somnus idem fuere, uti antea. Interim tumor circumscriptus tegumentorum capitis magnitudine ovum columbinum aequans exortus est, qui paullo post, arcessito chirurgo, incidebatur et magnam puris copiam edebat. Per plures hebdomades linteolo concerpto deligatum est vulnus, dein ob tumorem in vicinis partibus, altera incisione facta, qua pus cum sanguine mixtum prodibat, ad sanationem et cicatrisationem vulnus perductum est. Usque ad hoc tempus parvula minimam tantum jacturam feceral in incessu, desiderio ludendi, et eximia hilaritate, ita ut magua spe tenerentur parentes, vitam aegrotae incolumem servaturum iri. Mater tangendo caput animadvervit quidem exiguam impressionem, nescia autem, quantum discriminis afferre possint capitis laesiones, earumque sequelas nonnunquam exactis pluribus diebus aut hebdomadibus demum intrare, medicum de filia sua non consuluit. A die laesionis prope tribus mensibus praeterlapsis, discussoque omni timore magis magisque metum incutientia symptomata se manifestarunt. Quin ab alio manu ducatur, aegrotula ire non potuit, maximum levamen e vita sedentaria perseusit. Appetitus ciborum et potus in toto morbi decursu non est imminutus, crebro autem post assumtos cibos potusque vomitus intrabat, quo tamen solum contenta ventriculi ejiciebantur. Hic rediit saepe uno eodemque die, multis interpositis liberis diebus. Dejectiones alvi per sex menses inscia parvula intrarunt, excrementa aliam autem formam, quam quae naturae faecum convenit, non referebant. Aegra viribus, pro voluntate artubus uti, destituta, sensim etiam animi facultates aboleri incepere. Vox mitissima degenerabat in acutum, vehementem clangorem; tinnitus aurium aut gravitas auditus non observata esse dicuntur. Caligo praecipue infestaverat oculum dextrum, et hocce, ut videbatur, aegrota nihil potuit observare. Pupilla immobilis facta est et dilatata, et saepe aegrota praeter voluntatis assensum motubus alternis atque insolitis concussa est. Primum hi motus convulsivi in ex-

tremitate superiore et inferiore lateris sinistri observati sunt, maximeque variabant non solum quod attinet ad tempus sed etiam atrocitatem. Quandoque pluries intrabant quotidie, tum autem per aliquod dies cessabant, quandoque brevius temporis spatium percurrebant, et alia vice per sex horas, imo vero per totam noctem perseverabant. Parvula in ulteriore morbi decursu summopere anxia fiebat, valdeque inquieta, et timor, ne humi procumberet, tum demum propellebatur, si quis manibus arcte inter se conjunctis totum ipsius corpus, aut saltem brachium amplectebatur. Sinistrum corporis latus adeo affectione paralytica tenebatur, ut quamcunque virium intentionem recusaret; sinistra manu nihil capere firmiterque tenere, sinistro pede neque insistere neque motiones facere potuit. Memoratu dignum est, parvulam per totum tempus, quo aegrotabat, parum tantummodo doloribus vexatam esse, doloremque cicatricis attactu aut cutis compressione extrinsecus facta nonnihil solum intendi. Exceptis saepe redeuntibus lucidis intervallis per totum hiemale et vernale tempus mentis perturbationes perpessa est. Calidis diebus omnia symptomata increscere videbantur, frigidiore tempestate multo melius se habuit. Ultimis vitae diebus motus convulsivi quoque musculos faciales corripuere, stridor dentium, trismus pertinaciter aegrotam infestabant, ita ut per duos ante mortem dies vi magna os aperiri deberet, ne infans fame moriretur. De vita filiae suae summopere sollicita mater, cum pluribus ex celeberrimis hujus urbis medicis miserabilem aegrotae statum communicavit, qui omnes unice a cerebro omnia symptomata repetenda esse, inter se convenerant. Ratione laesionis habita, compressio cerebri adesse putabatur, ex symptomatum autem gravitate concludi poterat, intimam cerebri structuram maxime labefactatam esse. Experientia pervalde comprobata remedia, uti balnea tepida cum superfusionibus frigidis per longius temporis spatium incassum adhibita sunt, quoniam malum tantos fecerat progressus, ut de servanda vita vix aliqua spes concipi posset. Postremum parvula soporosis affectubus obnoxia fuit, qui per plures dies perstabant, et exo-

ptata morte demum finiebantur. Uti plerumque accidit, si inflammatio alicujus partis subito in gangraenam transgressa est, ut omnia symptomata mitigentur aut omnino cessent, et homo falsa spe teneatur, fore ut brevi tempore sanitatem recuperet, sic quoque hoc in casu nonnullos ante mortem dies puella suae mentis demuo plane compos fiebat. Macies parum tantummodo corpus consumserat, quod forsan multis ingestis cibis eorumque coctione minime depravata explicari potest. Pridie nonas Junii diem supremum obiit, et quas cadaveris ejus dissectio horas quadraginta octo post mortem accurate instituta detexit degenerationes, nunc enarrabo.

In osse parietali lateris dextri parvum, magnitudinem pisi aequans et rotundum foramen reperiebatur, marginibus glabris praeditum. His dura mater ita adhaerebat, ut difficillime divelleretur. Meninges ab omni degeneratione liberae erant; iis remotis superior loborum cerebri corticalis pars omnino sana se praebebat; incisa substantia medullari haemisphaerii cerebri dextri apparuit magna vomica, quae cum ejusdem haemisphaerii ventriculo cohaerebat, et magnam copiam puris crassi, ponderis sine dubio quatuor unciarum continebat. Superficies cerebelli crasso puris tegumento obtecta erat. E parte superiore canalis medullae spinalis eadem puris quantitas effluxit.

Epicrisis.

Si omnia symptomata, quae apud aegrotam toto morbi decursu, observabantur, in memoriam revocamus, nullum est dubium, quin illa solummodo e perturbatis cerebri functionibus originem duxerint. Si ad morbi initium animum adtendimus, nobis perspicuum erit, saepe capitis laesiones multum temporis requirere, priusquam mali praesagii phaenomena in conspectum veniant; aegra enim post adflictum vulnus per plures adhuc hebdomades bona valetudine fruebatur. Porro videmus, pungendo inflicta vulnera, quia altius penetrant, et facillime earum partium, quae obviam iis veniunt, contusionem et dilacerationem provocant, omnibus aliis, ceteris paribus, periculosiora esse. Bi-

dunm post sauciationem exortus tumor, solum forsan ex contusione spongiosae diploës et dilaceratis ejus vasis repetendus est, nam si integumentorum vulnus ei occasionem dedisset, sane citius oriri debuisset. Vomitum, ad subvertendam aegrotae corporis constitutionem, non multam vim habuisse, non est, quod miremur, quia aegrota, uti infantibus mos est, magno cibi potionisque desiderio tenebatur, (nam reproductionem prima vitae aetate praevalere, notissimum est) ita ut sat magna copia remaneret, ad corpus bene alendum. Sub initio morbi nihil aliud forsan mali, nisi irritatio meningum aderat, quae jamjam continuatae methodo antiphlogisticae cessisset. Quoniam autem falso putabatur, malum vulneris exitum nunquam timendum esse, et eam ob causam haec medendi ratio negligebatur, sine dubio lenta inflammatio accessit, quippe quae ob segnem decursum, maxime apta est, medicum fallere. Si eo tempore, quo prima perversae valetudinis symptomata intrabant calvaria perforata esset, forsan coagulatum sanguinem, cerebrum comprimentem, aut pus reperisses. Sanguis quidem, dissecto cranio, repertus non est, hunc certe, si prius adfuerat, vasa resorbentia in se receperant, et circulationi sanguinis communi adduxerant. Quod Meckel *) affert, inflammationem cerebri, quod attinet exitus ejus, memoratu dignam hanc ob rem esse, quia magna pars deleta esse potest, quin inde cerebri functiones multam jacturam faciant, et vitae periculum immineat, hac quoque morbi historia comprobatur; nam aegra plures hebdomades sine ullo mali ominis symptomate vitam degerat. Videmus quoque, quod jam antiquissimis auctoribus exploratissimum fuit, unius lateris paralysin, nempe hemiplegiam, plerumque tribuendam esse laesioni oppositae cerebri partis, videlicet illius, quae lateri resoluto ex adverso opponitur. Morgagni et Haller frequentissima actionis decussatae vulnerum et vitiorum cerebri exempla observarunt et collegerunt. Scriptores de decussatione nervorum opticorum in con-

---

*) Meckel Handbuch der menschlichen Anatomie. 3r Band Seite 601.

trarias sententias discesserunt. Ex coecitate dextri oculi derivare potes, utriusque lateris nervos opticos solum inter se contingere, quae quidem sententia et antiquissima et recentiore quoque aetate multis probata est sectionibus. Quaenam autem sententia de chiasmate nervorum opticorum vera habenda sit, hucusque adhuc plane in dubio est; nam quaevis clarissimos defensores habet.

VITAE CURRICULUM.

Ego Christophorus Gummich, confessioni addictus catholicae, natus sum Essendiae Guestphalorum cal. Januarii an. MDCCCVI; patrem veneror Johannem Gummich, matrem Gertrudem, e gente Dresbach, quam morte mihi ademtam, quam maxime lugeo. Iis disciplinis, quibus puerilis aetas informari solet, imbutus, gymnasium, quod Essendiae, rectore Paulssenio floret, per sex annos et dimidium frequentavi. Examine solenni in ipsa chola superato, testimonioque maturitatis (No. II) exstructo, ad universitatem Fridericam Guilelmam Rhenanam me contuli. Ibi Rectore Magnifico V. C. Hasse, et decano spectatissimo F. Nasse tertio ante Nonas Majas academicorum civium numero adscriptus, per sex semestria clarissimorum professorum et philosophorum et medicorum ordinis praelectionibus interfui.

Ex philosophorum ordine mihi tradiderunt physicen Cl. a Münchow; zoologiam Cl. Goldfuss; botanicen generalem et pharmaceuticam cl. cl. Nees ab Esenbeck senior et junior; logicen et psychologiam cl. van Calcker; mineralogiam cl. Nöggerath; chemiam experimentalem cl. G. Bischoff; Sophoclis Antigonen cl. Welcker.

De arte medica antem hasce lectiones audivi:

Encyclopaediam et methodologiam artis medicae apud cl. Windischmann; physiologiam mihi tradidit cl. Müller; osteologiam et anatomiam generalem cl. Weber; anatomiam specialem cl. Mayer; in arte cadavera dissecandi duces mihi fuere cl. Weber et cl. Mayer; historiam artis medicae mihi exposuit ill. Harless, quem etiam loquentem audivi de materia medica, de pathologia et generali et speciali et de morbis syphiliticis; artem formulas concinnandi tradidit mihi ill. E. Bischoff; ill. Nasse mihi tradidit therapiam generalem et specialem et morbos psychicos; disserentem audivi ill. a Walther de chirurgia, de fracturis et luxationibus, de morbis oculi, de fasciis applicandis, de institutionibus aciurgicis. Idem per annum dimidium clinicas meas exercitationes mo-

deravit; de arte obstetricia et de instrumentis ejusdem artis audivi ill. Kilian; idem in operationibus obstetriciis, in machina, quam phantoma dicunt, mihi moderator fuit.

Anno MDCCCXXIX ineunte Mense Majo ad hanc celeberrimam musarum sedem Berolinensem me contuli, ibique ill. Klenze t. t. Rectore Magnifico in album receptus, et decano t. t. medicorum ordinis ill. Bartels facultati medicae adscriptus sum. — Inde ab eo tempore frequentavi has praelectiones:

De medicina forensi disserentem audivi ill. Wagner h. t. decanum spectatissimum; de anatomia organorum sensuum et anatomia foetus, nec non de anatomia pathologica ill. Rudolphi; de morbis animi ill. Horn. Clinicum medicum in nosocomio caritatis dirigente ill. Bartels; clinicum chirurgicum ibidem moderatore ill. Rust per duo semestria adivi. Exercitationes clinicas obstetricias duce cl. a Siebold frequentavi.

Quibus omnibus viris clarissimis atque illustrissimis gratias ago quam maximas, et si quid est in me doctrinae, hanc praesertim illis debere, animo probo gratoque confiteri non desinam.

Quadriennio academico absoluto et examinibus coram philosophorum, deinde medicorum gratioso ordine rite superatis, spero fore ut dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Ungues et crines post mortem non crescunt. —

II.

Medicus venenis non utitur.

III.

Fracturae ossium cranii per se trepanationem non postulant.

IV.

Portio vaginalis uteri scirrho aut carcinomate correpta semper est exstirpanda. —

V.

Nonnulla certa graviditatis signa. —